

Johann Festing

**Programma Quo Ad benevole audiendam Disputationem Ultimam De  
Successione Ab Intestato Ex Ludwelli Exercit. X. th IV. & V. Ab Augusto Friderico  
Gerdes, Lubecensi. d. XXI. Iul. h. Ann. MDCLXXXIIIX. H. L. Q. S. solenniter  
habendam Magnif. Dn. Pro-Rectorem, ... invitat Johannes Festing/ D.**

Rostochii: Wepplingius, 1688

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741708116>

Druck    Freier  Zugang



RU jurist. 21. Juli 1688  
Festing, Joh. /e



J. 1687.



PROGRAMMA  
QVO  
Ad benevolē audiendam  
DISPUTATIONEM ULTIMAM

*De*  
SUCCESSIONE  
AB INTESTATO

Ex LUDWELLI Exercit. X. th IV. & V.

AB

AUGUSTO FRIDERI-  
CO GERDES, Lubecensi.

*d. XXI. Jul. h. Ann. M DC LXXXIX.*

*H. L. Q. S.*

solenniter habendam

Magnif. Dn. PRO-RECTORREM,

Utriusq; Reipubl. Proceres splendidissimos, omnesq; bo-  
narum literarum Fautores officiosē ac per amanter

invitat

JOHANNES *Gesting*, D.

Rostochii, Typis JOHANN. WEPPLINGII,  
Acad. Typogr.

3.



# I. N. D. N. J. C.



Uæsitum est: Num Germania labo-  
ret hodiernâ civium literatorum mul-  
titudine? quocircâ variis studiis  
& affectibus decertarunt invicem.  
Scilicet ut potissim eorum expli-  
cem rationes, qui contra literato-  
rum multitudinem disputatione in-  
de ducunt, quod vix castra horri-  
da sequatur, qui Musarum solitudi-  
ni ass'veverit; tum nec mercator  
habeat, quem in Indiam mittat petiturum ebur; nec opif-  
ces possint reipublicæ præstare necessaria. Sed perversa ist-  
hæc est disputandi ratio, quandoquidem militum quidem  
numerus hactenus non deficit, modò ceteri adsint rerum a-  
gendarum nervi; neq; mercatura dampnum patitur quia  
pauci sint, qui negotientur; sed quia mercatores luxu-  
riari prius discunt & pecunia illudere, quam lucrari: opificum  
quoq; non exiguum proventum tempus omne attulit. Ea-  
propter nullum à literatorum multitudine detrimentum.  
At verò quænam est fortuna literarum aut superfluens illa  
literatorum copia? Certè nemo nescit, qui bono genere  
atq; loco, non adeò multos esse bonos nostro seculo & lite-  
ratos, ut potius frequens sit inter doctos de Barbarie præfa-  
gium. Evidem etiamsi sacra nostra Germania de quibus-  
dam gaudeat literatis, quorum tamen numerum nemo  
dixe-

dixerit superfluum, qvia optimorum hominum nunquam plenus numerus: attamen unius ævi hæc est turba perexigua, nisi augmentum capiat ex futura juventute, quæ succrescens suppleat silicerniorum partes. Variis merito artibus imbuitur *juventus*, ut habeant sociates, quorum sustineantur ministeriis. *Alii* divitias congerunt, *alii* necessaria parant, *alii* aut manu aut ingenio defendunt. Hi omnes suas habent laudes; maximas tamen illi, qui *ingenio* profundunt, eorum enim virtus *bellum* moderatur *pacemq.* Sanè sicut universale emolumentum, quod omnibus nascitur, majori dignum laude est, quām quod particulariter proficit: ita virtus ea eminet, quæ salutem civitatis aut defendit aut dirigit. Hæc autē turn in *armis tum in literis* elucescit. Virtus quidem militaris reipublicæ inque eâ literis artibusq; tutum tribuit præsidium, & dum imperterritò pectore hostium confringuntur robora, vix aliter meditatur eruditorum chorus, quām sicut Cicero pro Muræna dixit: *Nimirum dicendum est, quod sentimus; Viri militaris præstat ceteris omnibus.* Attamen nec ullus nescit, quomodo parvi sint foris armata, nisi sit consilium domi; unde Principi & consiliis opus est & experientiâ. Evidem salutaria aliquando consilia præbet *experientia*, quæ pro temporum aut locorum varietate vix aliunde haurienda: sed si ab initio non instruatur optimis exemplis animus, magnis certe periculis parabitur experientia. Hæc *parata* tunc demū proderit maximè, si manures gerenda; sublevabitur autem præcedaneis *prudentia consiliis*, dum discrimin adhuc prospiciendum erit. Hinc *Alphonsus Aragon.* Rex interrogatus, Utrumne armis an libris maiorem gratiam deberet, respondit: *ex librī se arma & armorum iura didicisse.* Nec alia fuit ratio *Philippo Macedonum Regi*, quare tanto studio filio *Alexandro* in Regnò successori plurimumq; terrarum futuro debellatori optimum quæsi-

verit  
): (2.

verit *Præceptorem*. Nec spem fefellit felix rerum eventus,  
cum virtus militaris adjuta eruditione & doctrinâ filium  
*Magnum* reddiderit. Hunc tantopere literis incubuisse ac-  
cepimus, ut ad nobilissimum philosophum vox ipsius lau-  
datissima excepta sit: *Malle se doctrinâ quam imperii magni-  
tudine ceteris antestare.* De *Julio Cesare* memoria prodi-  
tum est, (qvod inter alia ait *Saavedra*) sic eum for-  
mari ac fingi voluisse à statuariis: Globo insistebat ter-  
restri, atqve unâ manu gladium, alterâ librum tenebat,  
hoc insuper adjecto lemmate: *Ex utroq; Cæsar.* nimi-  
rum, ut significaret, tam eruditionem quam arma ad ac-  
quirendum & conservandum Imperium magno sibi fuisse  
adumento. Hinc quoq; ædem *Herculis Musarum*, in cir-  
co Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecuniâ Censoriâ fe-  
cit, non id modò fecutus (quemadmodum ait Eumenius)  
quod ipse literis & summi Poëtæ amicitiâ duceretur; sed  
quod in Græciâ cum esset Imperator, acceperat *Herculem  
Musagetem* esse, id est comitē ducemq; Musarum &c. Refu-  
tata autem dudum est *Gothorum* stultitia, qui idcirco Regis  
Athalarici Matrem Amalasuentā impensè oderant, quia illa  
de filio literis imbuendo sollicita: putabant enim per literas  
effeminari animos & ineptos redi ad gerenda bella. Quin  
potius ex tantis Principum testimoniiis ac successibus, hæc  
literarum satis demonstratur utilitas, ut nexu quodam ar-  
ctissimo jungantur armis. Sed quid de *Legibus* dicendum,  
quæ potissimam togati studii partem faciunt? Tribuit Im-  
perator Justinianus legibus quod armorum est, & armis  
quod legum est, quando *Imperatoriam*, ait *Majestatem non  
solum armis decoratam sed etiam legibus oportet esse armatam.*  
Id verò dictum sicut optimum est: ita non minus commo-  
dè à nobis sæpius repetitur, cum & ipsi Principes, Reges &  
Imperatores suum fecerint. Sic Anglorum Rex *David*  
*eius nominis primus*, qvi post fratres *Edgarum* & *Alex-  
andrum*

andrum i. regnavit A.C. m24. cum ad imitationem IV. libro-  
rum Institutionum, qvas profitemur, qvatuor componi  
jussit libros, qvibus more Hebræorum & Anglorum titu-  
lus & inscriptio est à primis verbis *Regiam Majestatem*, hic  
iisdem proœmialibus verbis amabilem armorum atqve  
legum conjunctionem meditatus est. Nec alia norma  
proœmii, qvod fieri mandavit *Carolus V.* Imperator glorio-  
fissimus de confirmatione legum publicorum judiciorum,  
ubi sapienter explicat, omnem boni Principis laudem in-  
eo consistere ut sit ἀπόφοιτος βασιλεὺς τὸν ἄρχοντα τὸν  
αὐχεντήν, Et tam legibus armatus, quam armis decoratus. Sci-  
licet alterum alterius auxilio semper eguit, qvod ait Justinian-  
us, Et tam militaris res legibus in tuto collocata est quam ipse  
leges armorum præsidio servatae sunt. Idem alibi perspicuum esse  
ait, qvod militaris quidem res, si sola & per se consistat, ultra quam  
debet, efferatur & in audaciam degeneret: civilis vero nisi ad mi-  
stum habeat robur militum, infra mediocritatem autoritate careat;  
utrumque vero si in idem cum altero concurrat, omnium perfectissi-  
mum & absolutissimum sit, quodque tam ad gerendum bellum quam  
ad tuendam pacem sufficiat. Adeo igitur complexiones videmus  
& copulationes & coagmentationes virtutis militaris, &  
hujus, quæingenio rem moderatur tum in bellis tum in pace.  
Hæc parta insuper disponit, hæc tuetur ea prosperè, tranquili-  
tatem servat, avertit sine acerbitate malum, remediumque  
parat. Hæc Principem decet, & magnâ cum curâ ipsi ac-  
quirenda est; Sed nec minus efformanda ad eam erunt ali-  
orum ingenia, quorum ministeriis utatur Princeps. Non  
utilior res aut magis salutaris reipublicæ, quam si abundet  
viris, quorum prudentia ipsi prospicit de necessariis & utili-  
tatibus. Optandum certè ut in isthæc studia incumbant  
plurimi, sed non segniter, neque aliter atque fas est. Multos  
cernimus à viâ aberrare simul ac ingressi fuerint, quos mo-

vet causa veræ prudentiæ inimica, vel à vero tramite abarcat  
abusui innexa animorum intentio. Ab hac omni abstinen-  
dum, cavendum, eoq; animo incedendum est, qui in pietate  
auxilii cœlestis experitur dona & in probitate componitur  
ad salutem reipublicæ. Sic optima videtur docendiratio, si in  
ipsis doctrinæ initiis præparetur animus, ut potissimum ex  
eâ causâ promoteatur, quæ optima est. Hæc certè  
ratio fuit quare non abs re futurum videbatur de *Motivis*  
*studiorum* paucis differere. Sed quia nunc sine aliis am-  
bagibus ad excercitia disputationum properandem erat,  
inter has meditationes tamen cogito, quanti fortunā suam  
facere queat Ampliss. Gerdesiorum familia mihiq; amici-  
sima. Sic primum enim cum respicimus ad utramq;  
virtutem bellicam & togatam, ipsa consularis dignitas  
in Lubecensium inclytâ republicâ cum grata merito-  
rum memoriâ bona pacis, quæ ex saluberrimis consi-  
liis obvenerunt, abundè hactenus testatur. Nec minus  
conservata postmodum in progenie virtus eminuit, quæ  
sicut hodienum adversus barbaros in armis inclarescit: Ita  
non minus per Jurisprudentiæ literarum que optimarū stu-  
dia, prosperrima DEO benedicente augmenta in nepote  
florentissimo speranda sunt. Evidem diu satis morbo  
detentus hactenus tacere debuit qui discendi ardore semper  
integro libros volvit & revolvit futuri docti excercitii virtu-  
tumq; optimos magistros. etenim quod secundum in hoc  
nostro quasi schemate meditationis erat, non pecuniæ stu-  
dium occœcavit unquam animum, qui veram sectatur  
gloriam; neq; hanc inanis gloriæ cupido remoratur, cum ad  
exemplum optimorum nihil magis odio habeat quam hoc  
ludibrium. Imò sedulâ curâ doctus est considerare inertes de  
factione seculi nobiles, in quibus, sicut in statuâ, præter  
nomen nihil est additamenti. Potius cupido integræ con-  
scien-

scientiæ motiva studiorum fuit. quandoquidem quid debeat reipubl. quid parentibus, quid Academiæ, imò quid honesto nomini prorsus cogitatum fuit. Sanè hæ causæ sunt, quæ conscientiam uniuscujusq; Juvenis in Academiâ ad hauriendam & demonstrandam publicè eruditionem obstringunt. namq; cum in civitate is melior habeatur, qui plurimum prodest, non nisi cum dedecore versari poterunt, ex quibus commoda nulla, detrimenta autem multa sunt. id fieri intelligitur, si negliguntur studia & multis sunitibus alitur inertia. Hinc parentum dolor, quorum ipses elusa est, quæ in honoribus filiorum ipsis gloriam promittebat. Meminisse hic debebant juvenes, quod Verulamius ait: *Gaudia parentum occulta sunt; nec minus dolores eorum & metus.* Illa certè verbis asséqui nequeunt, hos autem proferre nolunt. Certè liberi labores humanos suaviores, verùm infortunia amariora reddunt. Sed Academiæ pariter res agitur; cujus utilitatem promovere hæc ratio jubet quæ civem boni publici non sinit esse immemorem. Sic enim, ut magis Academia crescat inter ceteras, unumquemq; laborare decet, donec eo juramento se teneri putat: *Volo procurare ac promovere bonum Academie, quantum possum & quantum scio.* Unde eò minus exercitia Academica prætermittenda sunt: quoniam hujus officii, quod promovendo bono Academie intervet, maxima pars censetur esse, non sine publico specimine abiisse. Hoc v. siquidem statuta ipsa postulant, non potest nisi statutorum conscientiæq; malè habitâ ratione abiisse qui famæ Academie suæq; immemor silentium hīc egit indecorum pariterq; noxiū. Triste spectaculum est, mutum videre Auditorium, elinguem cathedram, tacitam & fractam Academiam. Ergo benè memor ejus quod assidua solet Professorum fidès suggerere, non potuit Nobil. Gerdesius Affinis optimus

mus, quin post morborum incommoda nostræ Academiæ  
habiturus rationem, & satisfacturus desiderio suorum,  
imò officium expleturus suum, prodiret in publicum.  
Etenim licet quiescere potuisset in præceptis celebrium vi-  
rorum & securum satis induere animum, cum ulterius  
per Oratorum, Politicorum, Moralistarum, Historicorum  
& Jurisperitorum monumenta privato cognitoque liceret  
ire tramite: tamen inter alios deesse noluit Academiæ ne-  
cessitatibus, paraturus potius ut ex nostra etiam domo  
ederetur Juridicarum disputationum qualemque speci-  
men. Quocirca cum in meris saltem utilibus questionibus  
& quæ in ipsis obtinent rerum argumentis disputabitur,  
eaqve disputatio in utilissimâ materiâ hodie ultima erit:  
Proinde non nisi spem eximiam splendidissimi Auditorii  
tum virtus disputantis, tum exercitii Academiæq; ratio &  
omnium favor ac benevolentia certissimè pollicentur.  
Nostrum autem sicut votum majus quodpiam esse non  
poterit nisi eum habuisse omnibus commendatissimum,  
quem nobismet ipsis habemus amicissimum: ita nunc eo  
etiam nomine abs utroq; Senatu Academiæ Celeberrimo  
cunctisq; Literatorum fautoribus per fiduciam favoris  
nobis promitto expetoq; humanissimè Auditori-  
um Splendidissimum faventissimumq;.

P. P. Rostoch. XV. Jul. A. M DCLXXXIIX.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn741708116/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741708116/phys_0011)





scientiæ motiva studiorum fuit. quandoquidem  
beat reipubl. quid parentibus, quid Academiæ,  
honesto nomini prorsus cogitatum fuit. Sane  
sunt, quæ conscientiam uniuscujusq; Juvenis in-  
ad hauriendam & demonstrandam publicè eru-  
obstringunt. namq; cum in civitate is meli-  
tur, qui plurimum prodest, non nisi cum  
versari poterunt, ex quibus commoda nulla, de-  
autem multa sunt. id fieri intelligitur, si negliguntur  
multis sumitibus alitur inertia. Hinc parentu-  
orum spes elusa est, quæ in honoribus filiorum  
riam promittebat. Meminisse hic debebant juve-  
Verulamius ait: *Gaudia parentum occulta sunt;*  
*dolores eorum & metus.* Illa certè verbis affequa-  
bos autem proferre nolunt. Certè liber labores huma-  
ores, verùm infornitia amaria reddunt. Sed A-  
pariter res agitur; cuius utilitatem promovere  
jubet quæ civem boni publici non finit esse imme-  
Sic enim, ut magis Academia crescat inter cetera  
quemq; laborare decet, donec eo juramento se-  
tat: *Volo procurare ac promovere bonum Academiæ*  
*possum & quantum scio.* Unde eò minus exer-  
demica prætermittenda sunt: quoniam hujus  
quod promovendo bono Academiæ intervit, maxime  
censetur esse, non sine publico specimine abiisse. Hoc  
dem statuta ipsa postulant, non potest nisi statuto  
scientiæq; male habitâ ratione abiisse qui famæ &  
fusæq; immemor silentium hīc egit indecorum  
noxium. Triste spectaculum est, mutum videre  
um, elinguem cathedram, tacitam & fractam Academiæ.  
Ergò benè memor ejus quod assidua solet Profes-  
des suggerere, non potuit Nobil. Gerdesius A-



the scale towards document